

I. TEXT

Der folgende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben zu erläutern!

Quid tam sollicitis vitam consumimus annis
 torquemurque metu caecaque cupidine rerum
 aeternisque senes curis, dum quaerimus, aevum
 perdimus et nullo votorum fine beati
 5 victuros agimus semper nec vivimus umquam,
 pauperiorque bonis quisque est, quia plura requirit
 nec quod habet numerat, tantum quod non habet optat,
 cumque sibi parvos usus natura reposcat,
 materiam struimus magnae per vota ruinae
 10 luxuriamque lucris emimus luxuque rapinas,
 et summum census pretium est effundere censum?
 solvite, mortales, animos curasque levate
 totque supervacuis vitam deplete querellis.
 fata regunt orbem, certa stant omnia lege
 15 longaque per certos signantur tempora casus.
 nascentes morimur, finisque ab origine pendet.
 hinc et opes et regna fluunt et, saepius orta,
 paupertas, artesque datae moresque creatis
 et vitia et laudes, damna et compendia rerum.
 20 nemo carere dato poterit nec habere negatum
 fortunamve suis invitam prendere votis
 aut fugere instantem: sors est sua cuique ferenda.
 an, nisi fata darent leges vitaeque necisque,
 fugissent ignes Aenean, Troia sub uno
 25 non eversa viro fatis vicisset in ipsis?
 aut lupa proiectos nutrisset Martia fratres,
 Roma casis enata foret, pecudumque magistri
 in Capitolinos duxissent fulmina montes,
 includive sua potuisset Iuppiter arce,
 30 captus et <a> captis orbis foret: igne sepulto
 vulneribus victor repetisset Mucius urbem,
 solus et oppositis clausisset Horatius armis
 pontem urbemque simul, rupisset foedera virgo,
 tresque sub unius fratres virtute iacerent?
 35 nulla acies tantum vicit: pendebat ab uno
 Roma viro regnumque orbis sortita iacebat.

II. AUFGABEN

1. Was ist mit *hinc* V.17 gemeint?
2. V.35f *ab uno ... viro* ist der überlebende Horatier. Wer ist V.24f. *sub uno ... viro* gemeint?